

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

PROPONENS

METHODVM IMMATA-
TVRAM MORTEM
AVERTENDI,

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

DN. D. HERM. PAVLI JVCHII,

SAC. PALAT. CÆS. COMITIS, FACVLT. MED. H. T. PRO-DECANI ET SENIORIS
PATHOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARIJ,
SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARIJ
AVLICI ET ARCHIATRI, NEC NON ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.
COLLEGÆ,

DN. PROMOTORIS ET PATRONI SVI OMNI OBSERVANTIAE
CVLTV PROSEQVENDI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET IMMVNITATIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS,
AD DIEM XI. AVGVSTI ANNI MDCCXLV.

H. L. Q. C.

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

JEDIDIA POLYCARPVS KRAVSE,

WIDANO-VARISCVS.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

Diaetet.

152,3 m





PROOEMIUM.

Tritissimum est axioma Philosopho-
rum: Qui vult finem, vult etiam me-
dia ad finem. Constat illi sua veritas,
non obstante, quod non raro ho-
mines in transversum agi experia-
mur. Scilicet: Qui vult finem serio & effica-
citer, & secundum hanc intentionem rationem
ducem sequitur, ille non minus efficaciter vult,
quærit & adhibet media ad finem obtinen-
dum apta & necessaria; id quod semper obti-
net, ubi ratio voluntati imperat, hæc vero illi
obtemperat atque morem gerit. Ubi vero
contra depravata voluntas, ruptis rationis frenis,
illius imperio se subtrahit, illiusque vim pravis
concupiscentiis superat, ibi sæpe fit, ut non so-

lum media, quæ ad finem, quem bonum esse cognovimus, adsequendum faciunt, insuper habeantur, sed etiam eidem plane adversa committantur. Tale tam circa res animæ, quam corporis salutem spectantes, quotidie fieri experimur. Sic *Thomas à KEMPIS de Imit. Christi Lib. III. Cap. 29.* conqueritur: Pacem, scilicet animi spiritualem, omnes cupiunt: sed, quæ ad veram pacem necessaria sunt, non omnes curant. Pari modo multi delinquant in respectu ad corporis salutem. Sanitatem & vitæ incolumis in seros maxime annos productionem omnes optant & desiderant: sed cum ad media perventum, quibus ista humana felicitas impetratur, hæsitant multi, & pravæ voluptatum impetus rationis imperio subjicere recusant. Ast injuriæ sibi ipsis illatæ pœnas ut plurimum opinione citius luere coguntur, dum infirmitatibus & morbis confecti, in ætatis flore decedunt, neque patrum annos illis attingere conceditur. Multis subjecti sumus incommodis, imò ipsius corporis ea est constitutio, ut singulæ horæ, imò temporis momenta aliquid de nobis deprædentur, adeò, ut dum loquimur,

quimur, immutemur: ut non ineptus vitæ nostræ typus videatur candidus ligustri flos, qui mane ad solis ortum nitidissimus, versus vespere iterum marcescit. Cura itaque & sollicitudine non mediocri opus est, ut recte & constanter vitemus, quæ sanitati adversa esse discimus; iis contra confidenter utamur præfidiis & mediis, quibus ad scopum vitæ incolumis & viridis senectutis ex voto pertingere licet. Ista meditati, in præsentis specimine inaugurali methodum aperuimus fidam & perutilem, cujus usu & observatione, immaturam mortem efficaciter arcere vitamque prorogare conceditur. Deus T. O. M. nobis & laboribus nostris benignissime annuat!

SECTIO I.

Immaturæ mortis causas exponens.

§. I.

Semel homini statutum (a Deo) est mori, *Ep. ad Hebræos cap. IX. v. 27.* terminus vero mortis illum fugit: mortis igitur immemorem vivere infanum; horam vero curiose inquirere velle, vanum est. Morti omnes subjacent ætates, imò nec materno utero inclusi & in volucris tanquam scuto cincti & undique tecti foetus à mortis spiculis immunes degunt, sed

sæpe, antequam lucem adspiciant, illis transfodiuntur
 Quia vero e naturæ quodam instinctu, nostri quodam
 amore capimur, ideo de nulla re magis quam de vi-
 tæ nostræ conservatione solliciti sumus, & ut illam ad
 summum usque senectutis protrahamus fastigium, cu-
 ram & operam, quæ ullo modo possibilis est, admo-
 vemus, nisi forte aliquis mentis quodam furore aut
 improba desperatione motus vel mortem exoptet, ne
 dicam, invitet, vel nefanda *αὐτοχειρία* sibi inferat.

§. II.

Primis à mundo condito temporibus, quæ fune-
 stum illud universale præcesserunt diluvium hominum
 vita per aliquot secula durabilis erat, ut hinc probabi-
 liter inferre liceat, Patriarchas illius ævi non alia, quam
 naturali morte obiisse: quæ sententia quoque sacro co-
 dici consentire nobis videtur, siquidem ibidem nullius
 morbi, quo illi obierint, mentio facta est, sed simplici-
 ter de illis refertur, quod exantlatis aliquot centenis
 vitæ annis, extincti fuerint. *Genes. V.* De longævita-
 tis autem illius causis curiosi naturæ scrutatores in di-
 versas abierunt sententias, quarum aliæ omni veri spe-
 cie destitutæ, fabulis accenseri merentur; aliæ vero &
 divinæ revelationi & rationi atque experientiæ magis
 consentaneæ judicantur. E priorum censu inprimis
 allegamus *Henricum NOLLIVM*, qui Panaceam quan-
 dam, qua ante-diluvianos usos fuisse nugatur, *Physic.*
Hermet. L. X. ita extollit: *Si est possibile, arte fieri & è*
corporibus impuris oleum quoddam ardens & tamen incom-
bustibile, quod etsi in omnia secula ardeat, flammamque de
se edat, tamen non absumatur: multo magis Deo feliciter ju-
vante

vante illud idem oleum & remedium balsamicum naturæ humanæ convenienter præparari potest, ut hinc homo usitatos vitæ terminos transgrediatur vitamque suam etiam in mille annos protrahat. Tanto beneficio quidam Philosophi, præsertim Patriarchæ veteris Testamenti ante diluvium divinitus donati fuerunt. At oleum tale incombustibile nemo unquam re ipsa probavit, quidquid etiam de eo nonnulli absque fundamento gloriantur, unde nec lampades perpetuæ à quibusdam perperam inter miracula artis chemicæ veterum relatæ fidem invenerunt, sicuti Olybii cujusdam lucerna inextinguibilis, in agro olim inventa Patavino, & ab Appiano, Hermolao Barbaro & Lud. Vives descripta inter figmenta refertur, & tales unquam inventas fuisse, Conringius de calido innato, Kircherus in mundo subterraneo, & Olaus Borrichius de ortu & progressu chemiæ; constanter, additis rationibus, negant. Etiam si vero tale oleum incombustibile daretur, neutiquam tamen inde inferre fas esset, ejus ope corporis vitam in mille annos conservari posse, siquidem vita nostra neutiquam per imixtionem fluidis corporis nostri materialium etiam incorruptibilissimarum, sed per motus solidorum & fluidorum reciprocos, hoc est circulationem & hac mediante, per secretiones & excretiones impuritatum conservarunt. Insuper temerarium est ejusmodi remedium longævitas fingere & illius usum & præparationem Patriarchis antediluvianis adferere, cujus nullum vestigium in historia illorum invenitur. E contra à ratione non aliena videtur Thomæ Burnet sententia, quam in prima mundi ætate nullas ætatis atque
hiemis

hiemis vicissitudines factas, sed constantem tempestatum temperiem & æqualitatem obtinuisse, statuit, cujus beneficio terræ fructus, quibus homines vescebantur, salubri temperie & homogeneitate donati erant & corporis humani status, nullis tempestatum mutationibus varie adfertur & mutatur, optimam temperiem & conditionem, qua a nativitate præditus erat integre servavit: quod assertum inde confirmare satagit, quia nostris temporibus provinciæ atque insulæ reperiantur, quæ ob cœli salubritatem atque temperati aëris constantiam incolas ducentorum annorum alunt; cum contra in aliis, ubi tempestatum inconstans dominatur, atque intemperata, homines admodum sint morbofi, & vitam in annos non multos producant, *Theor. telluris sacr. L. II. cap. 9.* Addunt alii natalis soli, quod Adamus cum posteris inhabitavit, salubritatem; non procul enim ab horto Eden illud constitutum fuisse conjiciunt, adeoque propter hujus viciniam multum de salubri aëris temperie participasse, sicut etiam in Mesopotamia & Babylonia, ubi olim paradifus fuit positus, incolas adhuc longævus fieri, à scriptoribus illarum regionum accepimus, cujus genuinam causam aëris secundum qualitates optimam temperiem & constantiam allegant. Schmidius Hypomnematè Hist. univ. longævitatè Patriarcharum sex causas recenset: 1) Dei voluntatem, 2) temperantiam 3) ciborum propter terræ bonitatem præstantiam, 4) Adami cognitionis excellentiam, 5. salubriorem siderum dispositionem 6) Divini verbi, cum maxime Evangelii de promisso mulieris semine propagationem; quæ omnino

no

no fidem merentur, & quantum ad naturales, cum prioribus consentiunt.

§. III.

Morti naturali, quam in extremo senio constituti sine conspicuo morbo per simplicem virium & motuum paulatim factam diminutionem in omnimodam illorum cessationem desinentem, patiuntur, opponitur mors immatura; qualis hominibus à senili ætate plus minus distantibus contingit, & per variarum causarum naturalium, non-naturalium & præternaturalium conjunctam vim atque efficacitatem gignitur. Immatura vero talis mors ideò dicitur, quia citius homines corripit, quam per provectam ad summum pro cujusvis individui constitutione ætatem, laudabili humorum crasi in vappiditatem conversa, & sensim languescentibus motibus vitalibus, una cum secretionibus & excretionibus ad mortem, naturalem scilicet, maturi fiunt. Definimus igitur immaturam mortem, quod sit præcocior vitæ extinctio vel ex interna & connata mala corporis dispositione, vel rerum non-naturalium vitio & perverso adhibendi modo, aut incongrua medicatione, per morbos, ex his causis excitatos, contracta.

§. IV.

Tali morte immatura plurimi hominum succumbunt, cujus nunc causæ ordine suo evolvendæ & recensendæ sunt: Inter illas primum in descriptione dedimus locum *internæ & connatæ malæ corporis dispositioni*, quæ vel hæreditaria est, infantibus feminis vi à pa-

B

ren-

rentibus communicata; vel à perverso matris regimine, dum communi cum matre, illius utero inclusus foetus, vita fruitur, in hunc traducta. Parentes igitur mollis & delicatæ constitutionis & texturæ, tales etiam procreant liberos minus vivaces, sed debiles admodum, quorum sanitas infirma levi auræ frigidæ flatu, aut errore circa diætam commisso, facillime labefactatur, neque tales acutis morbis ferendis pares sunt, sed ut plurimum illis vitam perdunt, uti per epidemicas graffationes variolarum, morbillorum, dysenteriaë, purpuræ hæc sæpe observare licet. Aequè vero etiam parentum morbi in liberos transeunt, qui vel iisdem tenera statim ætate, vel adultiores facti corripiuntur & obeunt: quandoque vero morbositas à parentibus suscepta, in infantibus alia sub larva se prodit. De Gallico morbo compertissimum est, à parentibus illum in liberos propagari, quod itidem etiam de arthritide habituali, phthysi, purpura & aliis morbis observamus. Ante aliquot lustra plurimæ puerperæ purpura maligna corripiebantur, quarum multas hic morbus jugulabat, tenellis superstitibus: isti vero non solum in infantia dein hoc morbo repetitis vicibus infestabantur, sed etiam tandem immaturam eo obibant mortem: taceo, quod puellæ adultæ & inito matrimonio puerperæ factæ, non paucæ eundem morbum exitialem expertæ sint. Parentes, qui in juventute variolis confluentibus & copiosis laborarunt, dein in liberis quoque hunc morbum non minus acutum & sæpe exitialem conspiciunt. A podagrigo parente fati, ob insitam dispositionem in ætatis flore podagricis tentari solent doloribus, ut alias plures

plures per hæreditatem susceptas dispositiones morbo-
sas taceamus, quibus immatura mors accersitur.

§. V.

Fœminæ vero, utero gerentes, sæpe tenello fœ-
tui vim inferunt, & ut ante legitimum partionis tem-
pus è nido suo vi & impetu quodam exprimatur &
immatura morte extinguatur, culpam sibi contrahunt,
quando imaginariæ & vanæ venustatis magis quam
prolis conservandæ curam gerentes, tumidum ventrem
& angustatum pectus rigido thorace arcte constrin-
gunt, quo uterum cum incluso fœtu nimis compri-
mendo, ejus incrementum atque liberum sanguinis per
vasa circulum remorantur: unde illa nimium sangui-
nis infarctum suscipientia, rumpuntur, spasmus in
utero excitatur, quo deinde enormem hæmorrhagiam
& tandem abortum sibi consciscunt. Etiam si vero hic
non semper consequatur, aliud tamen inde fœtui in-
ferunt damnum, dum ejus tenerum & molle corpu-
sculum deforme, monstrosum, imbecille & valetudi-
narium reddunt. Quia enim ob constrictionem istam
matrum, respiratio, alimentorum in ventriculo dige-
stio, in intestinis chyli elaboratio & promotio per or-
dinarias vias, gravem turbationem atque remoram pa-
tiuntur, chylus non satis elaboratus & ad tenellum
embryonis corpusculum bene nutriendum satis ido-
neus ad fœtum derivatur, unde illi non sufficiens nu-
trimentum & incrementum præstatur: accedit, quod
necessaria libertate & spatio semet extendendi & mo-
vendi destitutus, neque tantum nutrimenti intra cor-
pus admittat, quantum ad debitum augmentum ipsi

B 2

est

est necessarium. Teneri propterea talibus nascuntur pueri atque imbecilles, quibus cum connata infirmitate sæpe per omnem vitam conflictandum est, quam pallore vultus, corporis macilentia, ossium exilitate, virium ad motus & labores obeundos insufficientia, præcipue vero angusta respiratione aperte monstrant. Haud alienum quoque à veritate videtur, rachitidem cujus plures causæ fontesque sunt, non raro ab hac gravidæ ventris coarctatione oriri, minimum ad illam si materni corporis habitudo, aliæque occasiones præsto sunt, non parum conferre.

§. VI.

Multis autem aliis quoque modis tenelli utero inclusi foetus matrum culpa morbofi redduntur, vel dum vix vivere cœperunt, iterum extinguuntur, ita ut vel immaturi, vel maturi ad partum exanimis excludantur. Summe imprimis perniciosus observatur vehemens motus, ne saltatione quidem excepta, qua abortum provocatum fuisse novimus; elevatio rerum gravioris ponderis atque talium difficiles gestationes; verbo, omnes actiones, quibus vel valide retento spiritu diaphragma cum abdominis visceribus nimium deorsum urgetur, vel venter gravidæ valide comprimitur aut aliter violenter tunditur vel quatitur. Intemperantia circa victum ejusque infalubritas maximum æque momentum habent ad foetum imbecillum & morbosum efficiendum, vel vita privandum, cujusmodi mali effectus quoque potus spirituosos, imprimis immodice haustos, nonnunquam consequuntur. Nihil vero magis exitiosum & toxici vim exercet, vel subito tenore
vehe-

vehemente, vel ira, quibus pathematibus frequentes moventur abortus, & tenelli vel uterum adhuc inhabitantes, vel exclusi, convulsivis tentantur motibus, illisque subinde mox jugulantur. Ulterius foetuum exitium attrahunt medicamenta orgastica largius & repetitis vicibus sumta, emetica & purgantia vehementiora venæsectiones in pede, partus tempore nondum instante, iteratæ præcipue & immodicæ. Inter causas abortus vel imbecillitatis foetuum quoque anni constitutiones quædam referendæ veniunt, siquidem ex observationibus constat, uno vel altero anni mense plures fieri abortus, vel infantes admodum imbecilles edi & mox à partu extingui, cujus confirmationem ex *HIPP. Aph. S. III. 12.* petimus, quando inquit: Si australis hiems & pluviosa & clemens fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres, quibus partus in ver incidit, quavis occasione abortiunt: quæ vero pepererunt infirmos & morbosos infantes edunt, ita ut vel statim intereant, vel tenues & valetudinarii vivant. E præternaturalibus causis febres acutæ, tenesmi, alvi fluxus, foetum ante legitimum tempus expellunt; præter naturam vero tenues abortiunt, donec habiliores evaserint. vid. *HIPPOCRAT. Aph. Sect. V. 34. 44. 55. & Sect. VII. 27.*

§. VII.

Fœminæ infantes lacte suo alentes, sæpe illorum sanitati & vitæ male consulunt, quando intemperantia & insalubri victu crudis & vitiosis succis corpora propria obruunt & quasi inundant, lacte vero ex his genito, tenellorum ventres diu noctuque replent & hoc

B 3

median-

mediante in prima infantia cacochymicos, atque ad multos, ex impuritate & cruditate humorum, morbos dispositos efficiunt: inde serpigines, achores, tineæ, pulmonum infarctus, tusses, inflationes, tormina, vomitus, diarrhœæ, glandulæ circum collum tumefactæ, febrium diversæ species, catarrhi, phthyfes, convulsiones, & quæ sunt alia mala ad mortem usque discruciantia. Sicut autem antec. §pho perniciosi effectus terroris & iræ matrum in foetus utero inclusos redundantis, mentionem fecimus, ita hic iterum serio monere oportet, maximam his ipsis, infantibus lac è mammis maternis sugentibus, vim inferri, qui propterea mox suffocatione, inflammatione quadam interna, convulsione & epilepsia correpti immaturam obire coguntur mortem. Deinde fasciarum, quibus tenera corpuscula includere & munire moris est, vehementior constrictio, turpissimas membrorum deformationes, & gibbositates sæpe inducit, si quidem illius vi ossa adhuc tenera, mollia & cartilaginosa facile retorquentur, extraque sedem naturalem reprimuntur, quæ dein paulatim excrecentia indurescunt, id quod multoties se observasse testatur HILDANVS, *Obs. Chirurg. Cent. II. 99.* Præter hæc vero, thorace nimis compresso, infantes difficulter respirant, & quia in inspiratione pulmonibus haud sufficiens pro expansione spatium conceditur, illi sensim pleuræ adglutinantur, cum eadem coalescunt, unde pueri anhelosi fiunt & hectici, ad extremam vero maciem redacti, immatura morte extinguuntur, vel aliis chronicis morbis adfliguntur. Vid. *Perr. BORELLI Obs. Med. Phys. Cent. II. 59. & Dissertat. Inaugural. Excell.*
Do-

Domini PRÆSIDIS de usu & abusu involutionis & fasciationis infantum A. 1730. hic ventilatam.

§. VIII.

Explicatis primo causis, quibus utero inclusus fœtus vel ad morbos varios, immaturam postea accersentes mortem dispositus efficitur, vel omnino antequam in lucem edatur, vita privatur, ad recensendas non-naturales quoque nunc progredimur. Aer purus, temperatus & modice compressus optimum sanitatis & vitæ præbet pabulum: quia vero I.) ejus magna est diversitas ratione climatum, regionum, situs locorum & aliarum circumstantiarum; II.) maxima mutabilitas & inconstantia, secundum diversa anni tempora & tempestatum vicissitudines; III.) puritatis vel impuritatis respectu varietas, siquidem eundem variis atomis hominis sanitati atque vitæ infensis, intra fluidum suum corpus recipiendis, aptissimum esse, tam per rationem ex ipsa fluidi summe tenuis & rari natura, quam per ipsam quotidianam experientiam, considerata solum effluviolorum odoratorum per aërem latissima dispersione, vel hygrometrorum phænomenis, evidentissimum est. Ideo etiam varios in C. H. edit effectus, ejusque tam solidas quam fluidas partes diversimode alterat, & vel in melius vel deterius mutat, ut propterea recte distinguant Diætetici, inter aërem salubrem & insalubrem.

§. IX.

Quia vero de causis immaturæ mortis nobis præcipue sermo est, de aëre insalubri quoque, tanquam ad illam efficienter concurrente, mentem nostram aperire

rire

rire tenemur. Insalubrem igitur adferimus 1) nimis fervidum rarum & levem, quippe qui nec respirationi, neque æquilibrio inter fluida & solida servando commodus est, humores præterea nimis dissolvat & rarefacti spiritusque dissipando, vires exhaurit, imò sæpe cooperantibus aliis causis, in quibusdam subjectis putredinis autor est. 2) Nimis compressum, qualis inprimis rigidissima hieme & in regionibus borealibus, polo arctico vicinoribus, dominium obtinet, qui externum corporis habitum nimis comprimendo, inæqualem sanguinis circulum reddit, & transpirationem impedit, unde humores ob perspirabile retentum & condensationem, quam simul patiuntur, impuri, acres & mucidi fiunt. 3) Vaporosum, humidum, humido-fervidum frigidum. Humidus simulque fervidus seu æstuans, qualis est in climatibus calidioribus & illorum tractibus profundius sitis, mari vel lacubus vicinis, qui valde fibrarum tono inimicus est, & propterea corpus infirmit, humores vero dissolvit & ad putredinem disponit; humido-frigidus contra porro constringit, transpirationi obest & adfectuum catarrhalium ac rhevmaticorum ferax est; si vero talis modi tempestas in tempus incidit, quod inter ver & æstatem ambigit, frequentes etiam gignit pleuritides, observante SYDENHAM. *Opp. p. 330.* Notabilem vero imbecillitatem corpori adferre aëris humiditatem, ex eo constat, quod ubi cœperit humidus fieri aër, manifesta statim corporis lassitudo & ad somnum major quam ordinarie proclivitas sentiatur, pulsusque insignis debilitas. 4) In constans & ab uno extremo ad alterum ruens: subire

subitaneæ scilicet atque crebræ aëris calidi in frigidum & frigidi in calidum mutationes, unde catarrhi, arthritides, rheumatismi, hæmorrhagiæ & humorum corruptiones larga messe proveniunt, docente b. HOFFMANNO *Med. System. T. 1. p. 526.* Rationem vero hujus insalubritatis erudite explicuit Burnetus in Theoria telluris sacra, cujus verba in Latinum versa ita sonant:

Annuas aëris mutationes in viscera & solidas partes nihil agere, nullam meretur fidem. Quanquam enim totam machinam destruere non valeant, ordinem tamen atque fabricam fibrarum & pororum mutant, quæ peculiari usui & functioni apta destinata est: quia vero ista mutatio paulatim absque evidente nonnunquam morbo fit, annuam illam non percipimus, donec tandem crebræ illius per vitam repetitiones, manifestam inferant harum partium imbecillitatem. Etiam si quoque homines non statim exinde in morbos incidant, e crebris tamen illis fibrarum debilitationibus præmaturam sibi contrahunt senectutem & vitam abbreviant. 5)

Impurum, effluviis scilicet mineralibus venenatæ pro-
sapiæ, sulphureis acidis, salinis inquinatum, qualem in eminentiori gradu spirat Canum, illa celebris spelunca non procul Neapoli sita, cujus spiraculo admoti canes in momento suffocantur, quam exacte descriptam dedit Athanasius KIRCHERVS *Mundi subterr. T. 1. L. IV.* Æque vero immaturam mortem attrahere valent qualiacunque effluvia putrida, è paludosis & cœnosis locis provenientia & aërem inquinantia, quæ malignitate autem certe superantur ab iis, quæ è cadaveribus animalium humo non tectis exhalant, & nonnunquam acutas & malignas imo pestiferas quoque febres

C

febres

febres epidemice grassantes excitant. vid. *Atban. KIRCHERI scrutin. pestis p. 15.* Ubi carbones fossiles ignibus alendis adhibentur, effluvia in aërem missa, illum adeo noxium efficiunt, ut homines, talia inhabitantes loca, phthisi & scorbuto immatura obeant morte, uti de Anglia notissimum est.

§. X.

Spontaneæ & sæpe temerariæ ægrorum translationes ex aëre calido in frigidum, quo etiam illæ induriorum & stragulorum referendæ, in affectibus catarrhalibus, rhevmaticis, arthriticis febribus quibuscunque malignis, exanthematicis non in se & absolute lethalibus, sed continentia & remediorum appropriatorum usu decente submovendis, immaturam accersunt mortem. Et quem latet, aëre intensius frigido infantum achores, serpigines, purpuras benignas & alias excretiones cutaneas haud raro repelli, ut gravissimi morbi, catarrhi scilicet suffocativi, epilepsiæ, pulmonum inflammationes, purpuræ malignæ, & alii graves morbi inde excludantur, quibus, lætissimam spem promittentes, cum vix florere cœperunt, subito marcescunt.

§. XI.

Alimentis ad corporis nutritionem & conservationem indigemus, sed intemperante illorum usu, etiam si bonæ sint notæ, nobis morbos atque immaturam mortem consciscimus, corpora enim inde vel plethorica vel caeochymica fiunt, organis concoctionis, secretionum & excretionum, nec nimiam illorum molem concoquere & vitaliter digerere, neque cruditatum & impuritatum inde nascentium copiam sufficienter

enter

enter separare & excernere valentibus, unde impuro-
rum & vitiosorum humorum fit accumulatio, quæ
foecunda lethiferorum morborum est mater. Ubi
vero firma & vegeta constitutio corporis cacochy-
miæ resistit, plethora tamen non minus laborum
ponit & periculi plena est, machinarum, quæ hu-
mores continuò & æqualiter motuum suorum vi
in circulum agere s. n. debent, potentiis ad nimiam hu-
morum quantitatis resistentias superandas plane impa-
ribus existentibus, unde sanguinis in visceribus, quæ
minus quam alia tono valent, congestiones & stagna-
tiones, imò sæpe stases fiunt, quas vel vasorum ruptu-
ræ & humorum extravasationes exitiales, vel inflam-
mationes, abscessus, corruptiones &c. consequuntur,
e quibus deinde larga messis gravissimorum & incur-
bilibus morborum, ut Apoplexiæ, Paralysis, pleuriti-
dis, peripnevmonia, hepatitidis, nephritidis, catarrhi
fuffocativi, mali hypochondriaci & anomaliarum hæ-
morrhoidalium nascitur, quibus omnibus via ad im-
maturam mortem sternitur.

§. XII.

Aeque vero etiam in defectu peccatur, quando ci-
bi potusque in minore, quam necessitas requirit, quan-
titate adsumuntur, quod ab eminentioris conditionis
personis foeminini sexus consulto sæpe eum in finem
instituitur, ut venustum faciei pallorem vel albedinem,
& corpori decoram gracilitatem concilient: sed hæ cor-
pora tali vivendi ratione debilia & emaciata obtinent,
ad graves morbos, purpuram imprimis albam & hec-
ticam disposita, ob varias à deficiente sero ortas obstru-
ctiones,

etiones, ipsius quoque alvi, quibus dein correptæ, mox succumbunt & immatura morte in ipso ætatis flore obeunt.

§. XIII.

Alimenta ratione qualitatis multum diversa, à plurimis tamen absque salubritatis vel infalubritatis respectu avide satis atque immodice adsumuntur, unde tonus viscerum destruitur, & corpus pravis succis nutritioni minus aptis oppletur, quibus successu temporis, ne advertentibus quidem, immatura mors accersitur. Cum vero nostri non sit instituti, infalubria specialius recensere & singulorum subjungere rationes, pro præsentis scopo indicasse sufficiet, quod sibi succo facile fermentabili & acescente abundantes, quales sunt horæi fructus, viscosi, crudi, duri & fibrosi, uti sunt carnes vetustiorum animalium fumo siccatae & induratae, pisces marini ficcati, & sale condita tum vegetabilia tum ex animalibus desumpta, crebrius vel intemperanter sumpta certò nocent & sanitatem destruunt: quanquam perfecte sanis, laboriosis & robustis rarior & moderatus usus talium innocuus esse observetur. Inter edulia vero sanitatem graviter lædentia inprimis referimus panem non debite ad raritatem fermentatum & coctum, ut & alia è farina, ovis, lacte, flore lactis & butyro arte parata gulæ blandimenta, à quorum crebro, ne dicam, quotidiano usu, cacochymia & viscerum infarctus certo metuendi sunt, quibus dein vita debito citius abrumpitur.

§. XIV.

Nihil vero est, quo magis in propriam vitam de
baccha-

bacchari & delinquere solent homines, quam potus, quo aliqui abutuntur, alii vero minus, quam pro necessitate corporis, utuntur: accedit, quod rerum novarum & exoticarum amor, Chinensibus & Indis usitatos liquores, Europæos imitari & cum summa voluptate quotidie forbillare allicuerit, quorum usus non tantum in Magnatum aulis & procerum palatiis invaluit, verum etiam in operariorum officinis & ruricularum tabernis fere quotidianus est. At vero nihil inde commodi in vitam redundasse, inde colligere licet, quia his deliciis quotidie utentes, raro patrum suorum attingunt ætatem, quibus illæ nondum innotuerant; imò in statu valetudinario fere vitam transigunt. Muscularum & nervosarum partium robur non parum vini intemperans potatio frangit, corporaque arida & sicca efficit, unde pessime juvenili & puerili ætati consulitur, quando vini creber & largus usus illi conceditur; inde enim humores intemperati, motus vero immoderati redduntur, cum quibus sanitas haud diu consistit: neque vini quotidianus usus subjectis cholericis & cholericis sanguineis macilentis, debilem appetitum habentibus & qui duris laboribus æstivo imprimis tempore se quotidie fatigant & ferocis sunt animi, favet, siquidem intemperati succi inde generantur firmandis nervis, & laudabiliter nutriendo & augendo corpori minus idonei. Egregie hanc nostram sententiam confirmant, quæ de vini effectibus erudite differuit* Conringius: Ecquis dubitet, quotidiano & largo vini potu plus justo & calefieri corpora & exarescere? Atqui

C 3

multi

* De Germanicorum corporum habitus antiqui & novi causis.

multi nostrum ingurgitant sese igneo illo potu quotidie; nec adulti tantum aut jam viri; sed etiam pro lacte nutricis prope ab infantibus bibitur. Et paulò post: Vinum Spiritu suo tentat facile caput pueris, per se humoris plenum, unde comitialium affectuum periculum imminet, ceu acutissime observatum Aristotelis: tum etiam quod plus, quam par sit, absumat nativum succum amplificandis corporibus idoneum. Causam vero mutatae Germanicorum proceritatis & roboris corporum disertis verbis vini usum esse adferit: Deprehendes utique, quaqua incessit vinum, pristinam altitudinem sensim corruptam, & mutilata corporis dignitate, robur ipsum esse imminutum. In ipsa Germania nostra, quæ pars vitem non alit, aut vino rarius utitur, nonne plures educat majorum adeò laudata magnitudine insignes, præ illa, cui vinum est familiaris potus?

§. XV.

Magis exitiosi sunt & certas sanitati atque vitæ insidias struunt spiritus inflammabiles per fermentationem & destillationem parati, liberalius imprimis sumti, maxime, quando illorum abusui otiosa vita accedit, & alia etiam vinosa potulenta intemperanter hauriuntur. Perniciosam vero vim suam in omnibus corporis officinis, animali, vitali & naturali exerunt. In animali seu cerebro sulphure volatili & expansivo cerebri & nervorum mæandros replent, unde non aliter ac narcotica purissimam nervorum lympham inquinando, stuporem, torporem, somnolentiam, imo brevem insaniam, sensuumque ac motus impotentiam inferunt. Et quia etiam motu intestino sanguinem

rare

rarefaciunt & expandunt, arteriæ carotides & vasa plexus choroidæi tenuissima hinc nimium dilatata, in systole & contractione impediuntur & sanguinis transitus per caput tardior fit, unde venæ ab eo infarciuntur, serum secedit, & sic graves capitis morbi, apoplexia, paralyfis & affectus soporosi gignuntur. In vitali œconomia perniciosam vim exerunt, in corde & majoribus vasis polypos, in pulmonibus vero obstructions, indurationes seu scirrhescencias atque ulcerosas corruptiones generando & efficiendo, unde nihil frequentius est, quam ut spirituosorum liquorum potatores atrophia, pthisi, hectica & asthmate immaturam experiantur mortem, siquidem spiritus istos animales humores potentissime coagulare per experimenta nunc est notissimum. In officina naturali alia luditur tragœdia: ibi enim in ventriculo murmura, rugitus, nauseam & vomitus, qui mane jejuno ventriculo corripunt, excitant, appetentiam imminuunt & sensim destruunt; in intestinis torminum, flatulentiarum & diarrhœæ sensim colligantis causa efficax sunt; in hepate obstructions & indurationes, in pancreate & mesenterii glandulis scirrhescencias, in liene infarctus efficiunt, unde tales spirituum potatores sæpissime hydrope, cachexia, atrophia, immatura morte obeunt, in quorum post mortem sectioni subjectis cadaveribus memorata viscerum vitia in conspectum veniunt. Vide HOFFMANNI *Med. System. T. II. Part. III. Cap. 4. Ejusd. Obs. Physico-Chymic. p. 207. Commerc. Litterar. Norimb. A. 1736. p. 154.* ALBRECHT *Prof. Gœtting. Diss. de Spiritu vini &c.*

§. XVI.

§. XVI.

Peccatur vero in sanitatem corporis quoque, quando liquidorum seu potulentorum non ea præbetur quantitas, quæ ad laudabilem alimentorum digestionem, chylicationem, tenuitatem & mobilitatem humorum necessaria est: Spissitudine enim ac lentore illorum universali introducto, præcipuæ ad vitæ conservationem requisitæ functiones vacillant & sensim destruuntur. Siquidem fluidorum progressus inde difficilis redditur, se- & excretionum negotium turbatur, unde cacochymia & viscerum nascuntur obstructions: cujusmodi malorum effectuum documenta sequior sexus, accedente inprimis otio & sedentaria vita suppeditat; hinc enim multæ inveniuntur foemellæ, quæ continuas movent quærelas de alvi difficultate & duritie, rhevmaticis doloribus, cephalgia, mensium paucitate & gravissimis circa illorum eruptionem doloribus, colico-hysterics, cardialgicis & aliis hypochondriacis affectionibus spasmodicis, quibus tonus viscerum labefactatur, succedentibus vel chronicis passionibus in cachexiam vel hecticam desinentibus, vel purpuraceis & aliis funestis febribus, quibus ad mortem nondum maturi, fato concedunt.

§. XVII.

Inter immaturæ mortis causas maximi momenti est præmatura & nimia venus. Delibatissimo enim fluido, quod omnibus partibus robur & vires largitur, immodica voluptate consumto, necesse est, ut vires imminuantur & solito robore priventur membra, inde vero universi corporis imbecillitate contracta: motus

tus

tus & actiones languide peraguntur, ventriculus hinc male se habet, & concoctio læditur, uti recte SANCTORIVS notavit: *Coitus lædere solet primam coctionem, primo diminuendo perspirationis promptitudinem, deinde in crudam qualitatem convertendo cibum. Med. static. Sect. VI. Aph. 15.* Posthæc quoque à coitu immoderato graviter visionem lædi observavit, cujus rationem allegat: quia ab oculis subducit maximam spirituum copiam; unde tunicæ oculorum præduræ & rugosæ, nec non meatus minus pervii redduntur. Universalem vero corpori languorem adducit; quia vehemens animi & corporis motus est: corporis, quia omnia membra conquassantur; animi, quia resolvitur, quod colligat animum corpori, spiritus scilicet vitalis, unde variorum morborum parens fit. In hepate enim bilem, i. e. morbos à bilis vitiosa qualitate & obstructione vel impedito progressu, in renibus nephriticum affectum, in stomacho crudum succum, in cerebro catarrhum, in corde palpitationem & syncopen gignit *lib. cit. Aph. XXIV. & XXVII.* Hinc vero liquet, quantum damni junioribus afferat venus præmatura, siquidem in ipso juventæ flore illud homini detrahitur, quod animo vigorem, sensibus acumen, corpori vero robur addere debebat, quod longævitas præcipua causa existit. Idem de femellis statuendum est, quæ corpore nondum satis firmo, & adulto, veneri litant: si enim tales utero concipiunt, succus nutritius proprii corporis incremento necessarii, foetus intercipitur nutritione, unde puellæ, quæ maturius viris nubunt, raro corporis debitam soliditatem & firmitatem adsequuntur. Hujus propterea probe conscii prisca Germani, proceritatis & robo-

D

ris

ris corporum amantissimi, non nisi ætate fatis maturis veneris usum permittebant, ut robora parentum liberi referrent, *Cornelio TACITO teste: Sera juvenum venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur: eadem juvena: similis proceritas, pares validique miscentur.* Hanc vero longævitatæ & corporum proceritatis veterum Germanorum causam quoque adseruit *CONRINGIVS de habitus corporum Germanicorum antiqui ac novi causis.*

§. XVIII.

Motus & quietis vicissitudo & prudens commensuratio pro cujuslibet individui, temperamenti, virium & ætatis conditione, ita ut neque ab una parte virium irreparabilis jactura, nec ab altera in habitum definens torpor & segnities contrahatur, ad sanitatis integræ & vegetæ vitæ conservationem, res maximi momenti est: sicut vero nihil in natura ita excellenter bonum est, ut vel excessus vel defectus non noceat: ita quemque modum circa has res tenere oportet, siquidem nimio motu & labore corpus supra modum incalcescit, humores intemperati redduntur, vel in serum colliquefcunt excrementitium, & fluidi nervei, à quo partes solidæ motum præstantes vires & robur accipiunt, major fit jactura, quam pro illius ratione è victu reparatio obtineri potest, ut adeo etiam nimius labor, motus viribus citius exhaustis, ad immaturam disponat mortem: taceamus jam damna illa, quæ subitam à motu & exercitio æstuantis & sudore madentis corporis refrigerationem consequuntur; inde enim sæpe declinante æstate fervida imprimis atque sicca, dysenteria, febres acutæ &

& intermittentes inter agricolas epidemice grassantur, non paucis subinde exitiosæ, de quibus ex instituto SYDENHAMIVS tractavit. E contrario nimia quies, otiosa & sedentaria vita, segnes & torpidos efficiunt, è languidis vero motibus humorum spissitudo, impuritas, secretionum & excretionum tarditas, imò nonnullarum, illius maxime, quæ per transpirationem fit, defectus consequuntur, inde vero ejusmodi subjecta plethorica & cacochymica redduntur & graves morbos ex mala digestionem, chylicationem, lymphæ stagnationem, viscerum obstructionibus & infarctibus; vel arthriticos, rheumaticos, cutis vitia ulcerosa diuturna & contumacia sibi consciscunt, quorum multi ad immaturam mortem viam parant.

§. XIX.

Non abs re nos agere existimamus, si immaturæ mortis causas evolventes, locum etiam aliquem nimie animi intentioni, lucubrationi in seram noctem & intemperie studiorum concedimus. Medium tenentes beati, sæpe vero in eo delinquunt literati, quod animo ad conservationem sanitatis & vitæ necessariam relaxationem dare nescii, nimis importune meditationibus & studiis die nocteque se fatigant, corporum suorum robora inquieta cogitatione nocturna que vigilia enervant, & hac studii intemperantia non solum corpori vires subtrahunt, sed etiam somno, qui altera pars vitæ est, nimium quotidie demendo, tempus & occasionem exhaustas reparandi vires suffurantur, unde motuum vitalium & functionum naturalium languor & universi corporis imbecillitas contrahitur. Illud enim

D 2

quo-

quotidiana in hunc diem probavit observatio, nimia sensuum internorum & externorum intentione, spiritus cerebri intra illius sphæram partim retineri, partim in sensuum organa confertim transmitti & consumi, & hinc necessario alias partes, quæ motibus & functionibus suis vitam sustentant, illorum necessario & sufficiente influxu destitui: inde vero languores, pallores, marcores multorum litteratorum; inde oculorum morbi, hinc auditus difficultates, vertigines, apoplexiæ, hæcticæ, hæmoptyses, anorexiæ, circa concoctionem vitia, inflationes & illis nimium familiare malum hypochondriacum, cum aliis pluribus morbis gravibus & exitialibus, quæ ulterius b. G. W. WEDELII confirmamus testimonio: Ordinarie omnis eruditorum valetudo ab hac moderatione vel intemperie æstimanda est. Notavimus vel nostra memoria, ne longius abeamus, maturius & in ipso flore ætatis defunctos, qui in hoc deliquerant. Vidimus homines giganteos, vidimus alios, optima ab ortu sanitate præditos, maturius vel mortuos, vel adeò quassos, ut perpetuò haberent, de quibus conquererentur. Quis vero enumeret omnia ista mala & inconvenientia ex hoc fonte ubertim scaturientia? Hinc Pallas â pallendo, quod studia immoderata & pallor signat, Minervâ â minuendis nervis dicta. Aliis rotatur caput, imo turbatur quoque, in aliis ad phthisin, ad febres, ad scabiem, & nihil non, porta aperitur. Vid. *Præfat. Cent. I. Decad. III. exercitat. medico-philologic. sacrar. & profan.*

§. XX.

Ut sanitas conservetur, corpus humanum variis instructum

structum novimus colatoriis & excretoriis organis, quorum opera, quæ inutilia & perniciofa sunt, continuo à retinendis bonis & necessariis liquidis separantur & excernuntur. Hoc secretionum & excretionum negotium maximi ad vitam & sanitatem momenti esse, omnes unanimiter profitentur Medici: quia vero tam excessus quam defectus vitæ insidias struit, peculiarem cum omnia in universum hominum, tum Medicorum potissimum requirunt attentionem & pensationem, ut in tempore tam excessui quam defectui, vel circa modum & vias aberrantibus, medela fiat, ne immaturam attrahant mortem. Non solum vero ita de ordinariis & naturalibus secretionibus & excretionibus, sed de extraordinariis imò præternaturalibus quoque tenenda & observanda esse, tam ratio quam experientia postulant. In nulla re vero magis in propriam vitam injuriosi sunt homines, quam ejusmodi excretiones vel neglectui habendo, vel studio qualibuscunque medicatiunculis turbando et reprimendo, uti quam frequentissime cum sudoribus spontaneis, diarrhœis, tussibus humoralibus, coryzis, erysipelati, achoribus, scabiei et aliorum ejusmodi cutaneorum ulcusculorum et pustularum variis generibus, ulceribus manantibus agere solent. Taceo nec arte paratas excretiones, quales sunt: quæ per setacea fonticulos, vesicatoria, venæsectiones, scarificationes, hirudinum applicationes instituuntur, sine gravi sanitatis et vitæ ipsius injuria, vel supprimi, vel cohiberi aut omitti adsuetas. Æque vero etiam circa laudabiles humores retinendos delinquitur, quando illi immodice profunduntur, quod de

sanguine inprimis vel præternaturaliter nimis manante, vel per nimias artificiales ventilationes ultra modum emisso intelligendum. Genitalis liquoris per nimiam venerem temeraria prodigalitas omnium est perniciosissima, dum corpori illud subtrahitur, quod robur & vigorem foenerat & seram seu vegetam procurat senectutem. Inde est, quod ejusmodi Veneri nimium litantes in medio ætatis flore vel Gallica lue, vel tabe, cachexia, hydrope, arthritide, vel aliis gravibus morbis occumbere coguntur. Alimentorum solutioni & extractioni à sapientissimo Creatore destinatus menstrualis salivæ humor, nostris temporibus è concepto præjudicio pro inutili & excrementitio aestimatus, copiose rejicitur, qui potius pro juvanda digestionem & primis viis abstergendis & mundificandis deglutendus esset. *Accedit intemperantia circa tabaci fumisugium quotidiana, potiori maxime sexui usitata, qua salivales glandulæ & ductus continuò & supra modum irritati et stimulati, nimiam salivæ effundunt copiam, quæ studio exspuitur, quasi in sanitatem maximum inde redundaret commodum, cujus tamen contrarium serius dein experiuntur, dum vel parciore usi potu marcescunt et tabe consumuntur; vel potulenta largius simul haurientes, humores quos sputando immodice rejiciunt, reparandi scopo, inde corpus nimiis crudis humoribus replent, et loco laudabilis salivæ quam imprudenter exspuerunt, novam equidem, sed inertem et destinatis usibus minus aptum gignunt, insuper vero ventriculi tonum labefactant et humoribus crudis et intemperatis corpus obruunt.*

§. XXI.

§. XXI.

Animi adfectuum incontinentia summa in corpus ejusque motus, non animales tantum, sed vitales & naturales quoque, vi pollet, eosdem alterandi, augendi, minuendi vel sistendi, eorumque harmoniam & justam proportionem tollendi, unde morbofi fiunt & immatura morte obeunt homines, qui inordinatorum & enormium animi motuum frena retrahere non didicerunt, sed eadem nimis laxant. Animus enim secundum BACONEM de *Verulamio* rota quasi suprema est, quæ reliquas corporis rotas circumagat. Hæc libere agit in partes ejus voluntati subditas, & mediante commercio, quod illi cum corpore intercedit, motuum suorum impetu omnes ejus functiones turbat & à rectitudine declinare facit, quæ ita se habere, tristes quotidie arguunt effectus. Ita subitaneo terrore mensium in foeminis fluxum & alias spontaneas sanguinis excretiones reprimi, sanguinis circuitum ita sensibiliter turbari & minui, ut vultus pallefcant, extrema frigeant & tremore agitentur, res omnibus est notissima: in febribus acutis sudores & exanthemata confestim restringi & repelli, contra vero alvum moveri quotidie experimur. Quanta potentia iræ sit in œconomiam motuum, pulsus mutatio è moderate in vehementem, è tardo in celerem, venarum in manibus turgescencia, insolitus faciei rubor, calor naturali intensior & alia plura arguunt; ad morbos vero acutos non minus quam chronicos gignendos admodum efficacem esse, in re hujusmodi attendentes haud latet. Ut nihil jam dicamus de amoris, tristitiæ, mœroris & aliorum adfectuum

ctuum

Etuum corpus h. diversimode alterandi & ejus sanitatem destruendi: vide quas memorabiles observationes collegit PECHLINVS, lectu omnino dignissimas.

§. XXII.

Sanitatem tandem non leviter offendunt & vires atterunt medicamenta præter rationem & necessitatem usurpata, talia imprimis, quæ videnter evacuant, humores nimium exagitant & fervidos efficiunt, immoderatos motus concitant, vel eosdem omnino sistunt, hypnotica et narcotica, quibus incauti sæpe lethifero immerguntur somno: tum quoque fortiora adstringentia, acida, volatilia, fortiora sudorifera et alia omnia, quæ conditionem et statum corporis sani mutare et invertere valent. Non possumus vero non, quin hac occasione in cacoethe, quod nostro seculo, proh! nimium invaluit, animadvertimus, fere quotidie medicamentis, in se licet optimis, absque judicio & necessitate utendi, ex vana sæpe invadentis vel imminuentis morbi metu, vel ex inani persuasione vitam & sanitatem conservandi, aut leviter saltem alteratæ mox succurrendi, quæ tamen vivendi ratione ad sobrietatis & temperantiæ regulas composita, per avtocratiam naturæ certius & securius conservatur vel reparatur. Optime hinc C. CELSVS L. II. C. 13. prodidit. Medicamentum non semper ægris prodest; nocet semper sanis; et alibi; Summa medicina est, non uti medicamentis. Apposite quoque BALLONIVS: *Cur multi diu integra sanitate fruuntur, quibus nec secta vena, nec datum medicamentum? Aliis & sæpe secatur vena & datur medicamentum & valde lubricæ sunt sanitatis? Credo,*

do,

do, quod corpus in malam consuetudinem adducitur, & quod dum sæpe purgatur, desinit ali, id quod CELSVS animadvertit. *Labyrinth. Med. p. 83.* Vid. & HIPPOCRATES *Aphor. Sect. II. 36. & 37.* RAMAZZINI *Opp. p. 128.* van der LINDEN, *Select. Med. Exercit. II. §. 25.* VERDRIES, *de æquilibrio mentis & corp p. 107.* CARL *Dietetica partic. p. 92.* HOFFMANN, *Medic. systemat. T. I. Sect. II. Cap. XVII. Tb. I. CELSVS Opp. Cap. I. VALENTINI, Prax. Med. infallib. Declamat. panegy. XIII.*

SECTIO II.

Immaturæ mortis avertendæ methodum & media proponens.

§. XXIII.

Longævitatē eamque sanam & vegetam, amore, quo in nosmet ipsos ferimur, serio optamus, & propterea, nisi vitiorum & voluptatum impetu abrepti, omni mentis sollicitudine in id maxime nitimur, ut nulla adversa valetudine adflīcti, summam attingamus senectam, quam inter summas reponimus divitias, juxta illud HORATII *Lib. I. Ep. XII.*

*Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.*

Et THEOGNID. in *Gnom.* κάλλιστον τὸ δικαιοτάτον, λῶσον δ' ὑγιαίνειν.
Pulcherrimum justitia, optimum vero sanitas.

Hinc illa immaturæ mortis avertendæ cura hominum mentes ad inveniēda remedia probatæ virtutis nullis non temporibus post universale illud diluvium stimu-

E

lavit,

lavit, quorum alii hæc, alii alia finxerunt & aliis commendarunt, sed effectu ut plurimum promissis non respondente. Ab illo vero tempore, quo Chymia autore THEOPHRASTO PARACELSO caput in Medicina erigere cœpit, magna cum arrogantia & verborum pompa Lapis sic dictus Philosophorum, Tinctura universalis, Tincturæ & pulveres solares, stupendis pollicitationibus commendati fuerunt. Ipse PARACELSVS *Lib. de Tinct. Physicorum Cap. I.* gloriatur: Se Tinctura philosophica curasse morbum Gallicum, Lepram, Hydropem, dolores colicos, Apoplexiam, Esthiomenon, s. Herpetem, Cancros, Fistulas, omniaque mala interna. Sed vana & falsa fuisse, quæ de Tinctura sua laudavit, inde alii colligunt, quia ipse non solum diu ante mortem convulsus contractusque vixit, verum etiam vitam, quam aliis longam pollicitus est, ultra annum 47. producere non potuit. Elegans in ejus mortem legimus Epigramma *Job. Petri LOTICHII*:

*Si præcox Medici mors scandala præbet, oportet
Scandala præbuerit mors, Paracelse, tua,
Nam, dum Nectoreum promittis pluribus ævum,
Ipso prius letho præveniente cadit.
Ridiculum Medicum! Si vis, Panacea senectam
Conferat ut reliquis, ne moriari prius.*

Lib. de vita longa ulterius Medicamentum communicavit, cujus usu vitam per aliquot secula protrahi posse audacter promisit. Compositio hæc est: ꝛ. Flores Sectarum ꝓj. Folia Dauræ ꝓv. Quint. ess. auri, perlarum aa. ꝓ. croci, chelidon. melissæ, aa. ꝓv. Sicut vero ingredientia partim obscuris nominibus notata, partim

tim

tim è subjectis fat notis petita sunt, à quibus nemo unquam tantum expertus est effectum: ita apud neminem, nisi autoritatis PARACELSI præjudicio occupatos fidem invenit, qui tamen, quid Fl. Sectarum, quid Folia dauræ sint, certò non adsequuti sunt.

§. XXIV.

Sed missis ejusmodi imaginariis & minus tutis longævitatatis remediis, nostram nunc promissam pandemus methodum & media ad producendam vitam opportuna. Caveant igitur inprimis parentes, ne propriam sanitatem intemperantia, libidine, vehementibus animi adfectibus, atque otio labefactent; è contra motu & labore eandem confirmare, & inprimis à molli & delicata vivendi ratione abstinere studeant, quam molles, imbecilles & ad morbos, maxime qui ex tempestatum mutationibus, aëris intemperie, & animi passionibus nascuntur, admodum redduntur proclives, quibus dein facile conficiuntur. E talibus vero parentibus nati debiles, inconstantis sanitatis & brevioris vitæ erunt.

§. XXV.

Deinde ut validam robustamque obtineamus prolem, concubitus non nisi adultioribus factis utriusque sexus parentibus, isque rarior celebretur; semine scilicet, quo fit conceptio, satis prius maturato atque cocto. Illud priscis Germanis lege quasi sancitum fuisse, TACITVS memoravit. Vid. Sect. I. §. XVI. Unde eodem teste, robora parentum liberi retulerunt, de quo ita eleganter suo more ratiocinatur CONRINGIVS *Lib. cit. Discere hinc omnino est primum illud: non nisi à robustis jam & ætatis plenæ parentibus quenquam majorem esse genitum:*

nitum: quod ad proceritatem corporis consequendam facit profecto in natis plurimum. Præterea ad validos generandos liberos aptissimi sunt, cum nec morbo vel improbo labore se defatigatos, sed corpore & animo optime valere sentiunt. Tempus quoque vernum & autumnale ut temperatissimum ita & propagandæ soboli aptissimum judicatur, quia tunc animantia ad venerem quoque à natura stimulari solent.

§. XXVI.

Dum vero matres, naturæ lege ita exigente, tenellos in lucem editos proprio lacte alunt, sobrietati studeant oportet, cibos mali succi, crudos, falsos, acidos, fructusque horæos rarius & parcius sumant. Posteaquam tenelluli per aliquot jam menses vitam duxerunt; quotidiano se exercent motu, somnique & vigiliarum tempora recte dispensent; potulenta spirituosæ non nisi parcissime admittant, & animi studeant tranquillitati; circa frigoris & caloris qualitates medium teneant, & in conclavi degant sicco & non male olente seu tetræ vaporibus referto; siquidem in tali habitantes pulmonum infarctibus, catarrhis suffocativis, febribus, purpura, & variis aliis à lymphæ corruptione & impuritate morbis tentantur, admodum non raro periculosis. Plura huc pertinentia vid. *Sect. I. §. 7.*

§. XXVII.

Exposuimus jam *Sect. I.* aëris insalubris conditiones, ejusque noxios effectus in acceleranda morte deduximus. Ad vitam igitur sanam in feram usque senectutem producendam salubris aëris usus imprimis est necessarius. Maxime vero sanitati ac vitæ nostræ
favet

favet aër 1) temperate calidus simulque mediocriter compressus, quas illius conditiones thermometra & barometra indicant. 2) Aër siccus, vel paucis solum humidis vaporibus imbutus, qualis in planis & locis quodammodo editis est. 3) Constans & serenus, quali imprimis æstate, subinde quoque hyeme fruimur. 4) Purus, & præcipue nec arsenicalibus & mercurialibus, neque acidis corrosivis, vel putridis & corruptis miasmatis, qualia animantium cadavera & paludes spirant, refertus, quò etiam effluvia maligna è morbofis corporibus in aërem missa referimus, quorum virulentia sæpe non imbecilles solum, sed robusti quoque in ætatis flore è viventium numero subtrahuntur. Ista salubritatis & insalubritatis diversitas in eligendis habitationibus & conclavibus peculiariter attendi meretur. Hinc maxime salubritatis respectu præferimus conclavia, non in terræ planitie vel profundius sita, sed editiora, probe siccata, nec recenter luto & calce obducta, è lignis potius quam lapidibus constructa, non alieno & abominabili foetore conspurcata & debite purgata, aëri per via & meridiano soli patentia, quod ultimum tamen præcipue de septentrionalibus vel his, vicinis regionibus intelligi volumus. Aëris vero salubris magnam esse vim ac potestatem ad corpora à morte immatura vel præcociore præservanda, vel inde non leve petimus argumentum, quia non solum singuli anni & anni tempora pro istarum conditionum diversitate, plures vel pauciores è vita abripiunt; sed etiam, quia homines in uno loco præ altero ordinarie magis incolumes degunt & summam plurimi attingunt

gunt senectutem. Spectant huc quæ LE GRAND de Hyberniæ quibusdam refert Insulis; quod illarum incolæ ob aëris in illis salubritatem longissimæ vitæ sint, cujus tamen post diuturnos labores pertæsi, longe à propria regione se deportari curent, præsertimque in locum minus salubrem, ut ibi facile moriantur. Vide *Curios. rer. abditar. perscrutat. p. 22.*

§. XXVIII.

Longitudo vitæ non pendet tantum à bono corporis habitu, sed etiam ex optimo usu sex rerum non-naturalium, quæ si recte dirigantur, diu vivemus & incolumes. Noscere se ipsum & scire affectibus imperare, eosque redigere in potestatem rationis. Hæc si quis moderetur sapienter, diu vivet & raro egebit Medico, ut rectissime docuit BAGLIVIVS. Potu ciboque ad necessariam corporum alimoniam indigemus, sed intra sobrietatis & temperantiæ limites ut nos sollicite contineamus opus est, quos si transgredimur, nosmet ipsos in gurgitem morborum corporis, & vitiorum animi præcipites damus, quibus tandem conficimur. Sobrietatis necessitatem jam agnovit HIPPOCRATES, dum *Epidem. Lib. VI.* inquit, *Sanitatis studium est, non satiari cibus & impigrum esse ad labores.* Cibi potusque mensura equidem non eadem omnibus, neque omni tempore observari potest, sed modo plus modo minus, pro ætate, temperamento, virium habitudine, & mobili vel sedentaria ac otiosa vita quam agimus, sumere expedit. *Corn.* CELSVS sanis inprimis Autor est, ut nullum cibi genus fugiant, quo populus utitur; quo ipso non obscure innuit, opiparum & lautum victum

victum non quotidie sumendum, sed potius pro sani-
 tate esse, quandoque duriores & vulgares cibos illi in-
 terponere, probe gnarus, hos magis quam illum cor-
 pora robusta & durabilia efficere. Deinde etiam
 quandoque in convictu esse, quandoque ab eo se re-
 trahere consulit: quo ipso nihil aliud indicare voluit,
 quam quod paulo ante præcepit, scilicet quod varium
 habere vitæ genus optimum sit, sic enim adeo firmum
 reddi corpus, ut non ita facile ab errore aliquo com-
 misso gravissime offendatur; è contra vero vitæ &
 sanitati bene consulere, si non crebro neque quotidie
 in convictu versari ament, sed prudenter quoque se
 ab illo retrahere studeant. Consentiant his, quæ *Aug-*
ustinus THEODORVS de longævitas & constantis in-
 columitatis proprie causis refert: ego *ἰνὲ γαστρίᾳ* corporis,
 coelitem benignitate à parentibus insitam, à prima ado-
 lescentia accommodata diæta factam tectam servare
 studui, quæ optima est nutricula senectutis, etsi inter-
 dum, sed rarius exorbitarim, cum natura mea sit tem-
 perata; & licet genius meus ad commestationes esset
 propensus, tamen illa multos aut magnos excessus,
 citra sanitatis aut vitæ dispendium diu sustinere haud
 potuisset. *Epist. Med. L. VI. IV.* Excesserat ille an-
 num ætatis suæ 82, cum de se ipso referret, quod per
 omnem vitam functionum omnium integritate gavi-
 sus sit in præsentem usque diem; quod absque orbi-
 bus vitreis minutas literas legere & scribere ipsi sit lici-
 tum, & non tantum æstate, sed hyeme quoque, quan-
 tumvis intenso frigore existente, nudo capite, nullo
 vel levissimo tegimine aperto, noctu in lecto recum-
 bere

bere ac dormire solitus, nihil incommodi senserit, sed ubi caput, vix quadrantis horæ spatio cervicali incubuerit, ex reciproca incalescentia pori perseverarint aperti, exhalationibus liberum concedentes effluxum. Isti constitutionis corporis firmitati & diætæ circa vitum observantiæ pertinaci, procul dubio etiam tribuendum fuit, quod tanta annorum intercapedine ne minimum catarrhi senserit, & nullum unquam observaverit sudorem in habitu corporis, sponte erumpentem, nisi interdum exspatiando, præcedente motu & æstu solari provocatum, sed serum inutile in halitus resolutum per ἀδελαν διαπνεην emisisse. Neque hodie talis longævitas exempla desunt, ubi præter bonum corporis habitum, temperantiæ constans observatio præcipue attendenda venit. Ita Gothæ ante annum Consul & Physicus civitatis optime meritus anno ætatis 93. obiit, de cujus diætæ, quamvis specialior notitia ad nos non pervenerit, sensuum tamen, rationis & virium integritas una cum florido vultus colore in extremo senio, nos certos reddunt, illam semper ad temperantiæ leges compositam observasse.

§. XXIX.

Temperantiæ igitur legibus obtemperantes, cibi potusque mensuram non quidem ad libellam, sed ad recte rationis & sensus proprii rationem exigimus. Ratione duce aliorum pericula & damna nos cautiorem reddunt; quia vero nimiam cibi potusque copiam aliorum sanitatem lubricam reddere & immaturam illis mortem attrahere observamus, hoc ipso moneamus, ut ab intemperantia nobis caveamus. Ipsa ratio
dein

dein dicitur, nimia copia ciborum obrutum ventriculum, illis vitaliter digerendis imparem, non nisi crudos atque refectioni corporis vitali ineptos gignere succos, qui in impuritates corpori noxias facessunt, si in primis tanta quotidie illarum mole corpus repletur, cui à bonis succis separandi, nec tempus, nec vires, nec organorum & canalium capacitas sufficiunt: respicit vero etiam bona aliorum exempla, qui sobrietatis amantes, mentem cum corpore sano incolumem in seros annos servant, quæ seriò imitari studet. Et quanquam non pauca occurrant subjecta, quibus natura tale concessit robur, ut etiam justo largiorem cibum bene digerant; quia tamen exinde nimiam humorum copiam ingignunt & corpora reddunt plethorica, etiam hoc modo vitæ clandestinæ struuntur insidiæ, sæpe admodum funestæ. Proprio vero etiam sensu intemperantiæ in victu perpetratae ut plurimum convincimur: siquidem ventris nimia intumescencia, pressiva sub scrobiculo cordis molestia, difficilis respiratio, torpor & segnities, somniculositas, capitis gravitas, crebri ructus, subinde vomitus & nausea inde consequuntur. Talia ut prudenter præcaveamus incommoda, consilio Verulamii obtemperare expediet, scilicet: *Observatio propria, eorum quæ nocent, & quæ juvant, optima est medicina ad tuendam sanitatem.* Cum sanitas monente HIPPOCRATE Lib. III. de diætâ in symmetria quadam & proportionem ciborum & laboris consistat, tenenda quoque hæc regula: *Mensuranda ciborum quantitas cum viribus internis motuque externo.* Modum vero in victu nos servasse inde certo colligimus: si nul-

F

lam

lam saturati sentimus lassitudinem & somnolentiam; potius nos non minus agiles observamus, quam cum essemus adhuc jejuni. Deinde, non parum utilitatis adferet, si non prius novo nos cibo potuque satiamus, quam priore digesto & ventriculo reddito vacuo: *Vetus enim alimentum, inquit BAGLIVIVS, non admittit novum alimentum, nisi vetus primo digestum fuerit, consumptumque: quodsi supra vetus non adhuc coctum consumptumque addas neovos cibos, quid facies? produces certe statim varia febrium genera, oppressiones, destillationes, internas phlogosee, &c.* Uberius ista confirmat HIPPOCRATES *de dieta in acutis*: In cibis ac potibus qui corpori maxime conveniunt, cum quis ipsis non opportune aut justo pluribus utitur, tum morbi, tum è morbis mortes accidunt. Plura huc spectantia suppeditat *Diss. de Sobrietate, Anno 1741. hic ventilata.*

§. XXX.

Eximium, prudentis moderationis circa cibi potusque usum, commodum, præ Chymicorum panaceis, arcanis & solaribus, si Diis placet, remediis, innumera probaverunt exempla, è quibus, præter §. VI. jam allegata, illud GALENI adhuc adducere liceat: Vixisse nimirum illum referunt centum & quadraginta annos: tanta vero in cibo potuque abstinencia usum, ut nunquam ad satietatem comederit aut biberit: nec suadente etiam patre suo, geometra & architecto, crudum quippiam unquam degustasse, & sine aliquo morbo, solo tamen senectutis marasmo defecisse. Rarum vero non minus illud est, quod PLINIUS refert *L. VII. Cap.*

Cap. 50. de Xenophilo musico, qui centum & quinque annos sine ullo corporis incommodo vixit.

§. XXXI.

Somni quoque insignis ad sanitatem & longævitatē est utilitas, unde illius defectus sæpe morborum & mortis fit causa. Modum vero illius servare oportet, siquidem juxta HIPPOCRATIS *Aph. Sect. VII. 71.* excedens morbum infert. Aetatis vero, bonæ vel adversæ valetudinis, laboriosæ vel otiosæ vitæ, ad illius rectam capiendam mensuram, discretionē opus est. Infantibus, plus somni debetur, quam vigiliarum, plurima enim indigent nutritione, & tenerarum, pro ætate sua, virium conservatione. Somnus vero à benignissimo Creatore animantibus ideo concessus fuit, ut ejus ope vires labore & exercitio perditæ reparentur, & nutritiæ particulæ, in locum perditarum, nova appositione & insinuatione intra solidarum partium poros admitti queant: quæ ita se habere à posteriori convincimur, quia tam homines quam animantia somno vires colligere & pinguescere observamus. Pro incrementi vero ætatis ratione, somno paulatim aliquid detrahendum, ut sufficiens etiam motui tempus permittatur, qui puerili & juvenili ætati saluberrimus est, ut articuli, & quæ motibus inserviunt organa, inde necessarium robur & firmitudinem adquirant. Floridæ ætati angustior debetur somnus, inprimis quando nec quotidiano duriore labore, neque intensiore meditatione virium magna fit jactura, corpus vero humoribus abundat & pinguescit, vel jam tum obæsum est; talibus enim largior nutritio, cui somnus protractior

F 2

mul-

multum favet, non parum est perniciofa. Senectus largiore indiget fomno, quia tum vires tum nutritio magis in hac ætate deficiunt: fomno igitur in plures horas protracto vires deperditæ reparari & succi corporis absumti fufficienter restaurari debent. Quamdiu morbo aliquo vehementius adfligimur, fomnum notabiliter diminutum vel plane abolitum experimur; vel si illo non omnino destituimur, non ita quieto, ut in fanitate, sed interrupto & infomniis turbato fruimur, qui secundum SANCTORIVM *Med. static. Sect. IV. Aphor. 5.* solitam perspirationem impedit, neque reficit. Convalescentibus itaque insigni fomnus est solamini, cui quo profundius merguntur, quo liberius indulgent, tanto promptius quoque pristinas recuperant vires, & ad sumendos cum voluptate cibos incitantur: limitibus igitur non facile illis est circumscribendus, nisi à fomno expergefacti se magis quam ante languere vel nihil quod ad vires se profecisse sentiant. Otiosæ & laboriosæ vitæ respectu, diversa quoque fomni mensura tenenda est: quo magis corpora impenso labore lassata, vel animi profundis & assiduis meditationibus confecti sunt, tanto longiore & non interrupto fomno corporibus vires & animis vigor restaurari debent; siquidem ad hoc obtinendum, præter cibum potumque prompte & bene nutrientem, fomno tranquillo nihil est optabilius. Otio & vitæ sedentariæ dediti, pauciores horas fomno tribuant, sex vel septem scilicet, illis sufficiunt: istud enim vitæ genus hoc incommodi habet, ut ob tardio rem & debiliorem fluidorum per minima vascula pressionem, indeque diminutas se. & excretiones,
iidem

iidem morborum feracem lentorem & impuritatem contrahant, quæ somno protractiore promte adeò invalescit, ut capiti gravitas, unverso vero corpori languor cum chronicarum passionum agmine adducuntur.

§. XXXII.

E rerum non-naturalium ordine nihil efficacius sanitatem tuetur & morbos ac immaturam mortem avertit, quam motus. In motu expedito, libero & moderato solidorum & fluidorum, vita collocatur, & universi corporis fluidorum destructiva corruptio continuo motu arcetur, quam alias, illo deficiente, quam facillime contrahunt; motus vitalem fovet calorem, humores à coagulo vindicat, attenuat, secretiones & excretiones sustentat & promovet, & tam plethoram, quam cacochymiam gravissimorum morborum causas arceat; artus præterea roborat, & corpori agilitatem, animo vigorem conciliat. Modificari vero postulat pro subjectorum conditione quoad ætatem, temperamentum, sexum, bonam vel adversam valetudinem, vires, victum vel largiorem vel tenuiorem & alias circumstantias. Optima vero motus mensura à facili tolerantia & proprio sensu desumitur. Is motus nostræ sanitati inprimis velificatur, quo nec in nimios sudores solvimur, neque nimium commoventur & in orgasmum concitantur humores, neque nimium fatigamur, & quo peracto placido mergimur somno, inde vero expergefacti, vires integre renovatas esse experimur. Non solum vero motus in sanitatis tutelam cedit, sed morbos quoque longo remediorum usu vix superabiles debellat, siquidem frequentissime observamus, post

F 3

susce-

susceptum iter, venationem, saltationem, equitationem,
 navigationem morbos feliciter curari. In eo veterum
 bene vivendi norma collocata erat, ut singulas diei horas
 bene distribuere, ut motum victui ita accommodarent,
 ut nemo à negotiosa vita detrimentum caperet. Hinc
 admirabilem illam veterum longævitatē, hinc salu-
 brem & athleticum corporis habitum; hinc illam in-
 curabilium morborum raritatem fuisse, optime judi-
 cavit BAGLIVIVS. Sicut autem hominum conditio-
 nes secundum ætates, sexus, temperamenta, robustum
 vel tenerum corporis habitum, vires, consuetudinem,
 bonam vel adversum valetudinem variant; ita
 quoque diversa motuum & exercitiorum genera se-
 cundum has varietates eligenda esse rationi maxime
 est consentaneum. Infantes, teneros pueros, fœmellas
 delicatiores, convalescentes, literatos & senes è levio-
 ribus motibus, quales sunt deambulatio in plano,
 lenta equitatio, vectura, & omnium lenissimus, gesta-
 tio, quæ vel in nave, vel in lectica instituitur non leve
 aucupantur commodum. Melancholicis & phlegma-
 ticis vehementiores motus præ lenioribus, salubriores
 sunt, ut cursus, saltatio, vox elata & intensa, globorum
 ligneorum in conos projectio, pugillatio & concita-
 tior equitatio, cum variis laborum speciebus, quibus
 corpus validius movetur & concutitur, humores vero
 alacrius moventur & incalescunt. Labores & exercitia
 temperata, quæ media inter lenia & vehementia ha-
 bentur, plurimi hominum, quam diu in sanitate &
 vigore sunt constituti, optime ferunt, iis quoque ali-
 quantum lassati, unius noctis tamen quiete & placido
 somno

somno reficiuntur: quamdiu vero mobile & laboriosum isthoc vitæ genus continuant, à morbis immunes degunt, vel levioribus ex aëris & tempestatum constitutione minus congrua correpti, ob corporis robur, & virium integritatem, nulla intemperantia antea lacescitam, inde paucorum probatorum remediorum subsidio, vel sola naturæ *ἀποκαταστασις* convalescunt. Quando contra alii, priori vita relicta, adpropinquantis senii causa à laboribus ad continuam quietem subito transeunt, vana spe concepta, sic conservatis viribus vitam in plures annos sanam protractum iri, illi certe vix anni spatium elapso se magis debiles, valetudinarios & ægrotos experiuntur, & fatum sibi accelerant, cujusmodi exempla aliquoties observavimus. Corpore robusto & athletico præditi, à longo tempore consuetos duros labores & motus, ut cursitationes, acceleratas equitationes, onerum gestationes & agrestes imprimis in senam ætatem, nisi modum excedant, impune ferunt & obfirmata sanitate fruuntur. Vires autem, facilis tolerantia & adpetitus laudabilis, cum cibi potusque conveniente usu, motui & exercitiis corporis certissimos ponunt limites.

§. XXXIII.

Abfit vero ut quietem omnino exulare præcipiamus; potius illam non solum sanis & robustis quotidianis laboribus & motibus ad virium reparationem & lassitudinis excussionem interponere commendamus: sed sedulò quoque illius decentem usum vulneratis, puerperis, imbecillibus, convalescentibus, infantibus, senibus & qui parco ac tenui utuntur victu, ad necessariam

cessariam virium conservationem & reparationem iungimus, siquidem secundum OVIDIVM:

Quod caret alterna requie, durabile non est.

§. XXXIV.

Laudanda eruditorum diligentia, qui ad promovendam Dei gloriam & societatis hominum felicitatem, legendo, meditando, literis consignando diu noctuque insudant; sed proprie vitæ & incolumitatis quoque memores sint necesse est. Amant alterna Camœnæ. Somno nihil temporis detrahendum & lucubrationibus, tribuendum: quantum enim demimus somno, tantum subtrahimus viribus atque vitæ. Viribus semper ad incolumem vitam protrahendam indigemus, prudente igitur illarum dispensatione opus, ne prius nos destituant, quam ad propositam metam pertigerimus. At vero interdum quoque animi relaxatione aliquod tempus concedere fas est. Nimia enim & constans meditatio & animi intensio corpori vires subtrahit, unde functiones fatiscunt, homines palescunt, marcescunt & variis hypochondriacis, scorbuticis, catarrhalibus et aliis pluribus adfliguntur morbis, imo non raro repentinis jugulantur mortibus. Animo contra a laboribus suis vacuo, corpus novis virium reficitur suppetiis, & illa quoque alacrior & expeditior postea ad munia sua redit. Veteres hujus studiorum temperantiæ & intermissionis observantes fuisse, è SENECAE *Lib. de tranquillitate animi Cap. XV.* percipimus. Ita enim ille: *Legum conditiones festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogarentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.*

tum.

zum. *Et magni Viri sibi menstruas certis diebus ferias dabant. Quidam omnem diem otium inter & curas dividebant: ita Asinius Pollio, Orator magnus, faciebat, quem nulla res ultra decimam horam retinuit, ne Epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid novæ curæ nasceretur, sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat.*

§. XXXV.

Quia corporis h. ea est conditio, ut tum calore & motu, quo continuè fluida duplici agitantur, tum è cibo potuque, quo corporis substantiam & vires perditas reparamus, multæ gignantur cruditates & succi inutiles, quibus in corpore coacervatis ac retentis, sanitas graviter labefactatur, & ad mortem immaturam via sternitur; ideo tam in sano quam morbofo statu illas animadvertere opus est, ut sicubi in illis defectum aliquem observamus, iis medelam facere haud moremur, sed I.) sanguinis excretionibus diminutis vel abolitis ordinatis & adfuetis, per tempestivas in debito loco institutas ventilationes, inita hac de re cum perito Medico consultatione, succurramus, decenti vero postmodum medendi methodo illas in ordinem reducamus. II.) Serè p. n. collectioni & retentioni per diapnoica sudorifera diuretica, apophlegmatizantia, errhina, laxantia opem feramus ad eam in specie excretionem specialem faciendo respectum, quam deficere observamus. Perspirationis potissimum ratio habenda est, quippe quæ non solum crebrius & facilius quam aliæ serè excretiones, media etiam æstate, aura frigida interdum vel noctu ineunte admissa, supprimitur, sed suppressa quoque graviter sanitatem offendit,

G

dit,

dit, unde statim febres, catarrhi, tusses, diarrhoeæ, non vere tantum & autumno, sed per æstatem etiam copiosæ, & subinde exitiosæ consequuntur. Ad hanc vero tempestive reparandam medicamentario adparatu non semper utendum, sed motu, exercitiis corporis, atque regimine diapnoico, Theæ vel Cofeæ potu calido mane in lecto in subsidium sumto, illi subvenire expediet. III.) Bilis in capsula & canalibus suis restagnans, unde morbus regius gignitur, vel regurgitatione ad ventriculum devolata pro causarum diversitate, antispasmodicis, salibus digestivis, diluentibus & laxantibus, ad intestinorum tubum ducenda & per illum absque mora evacuanda. IV.) Muci ordinariæ per consuetas vias evacuationes sollicitè observandæ, & sicubi deficiunt, blande revocandæ. Generaliter vero de excretionibus & secretionibus naturalibus monemus, ut etiamsi excedere videantur, non tamen temere cohibeantur; de præternaturalibus vero & morbofis, uti v. g. sunt vitia cutanea ulceroso-pustulosa, ulcera crurum sponte nata in provectæ ætatis subjectis, rhevmaticæ & arthriticæ congestiones &c. consulimus, ut nec siccando nec repellendo aut discutiendo ejusmodi mala submovere tentemus, sed potius conveniente methodo per interna remedia eadem levare, & si per subjecti rationem licet tollere operam adhibeamus.

§. XXXVI.

Ad vitæ & sanitatis prorogationem & conservationem maximi momenti est animi moderatio & tranquillitas, quæ a priscis in tanto habita fuit pretio

tio

tio, ut pro summo hominis bono illam coluerint. Commendavit illam Regum sapientissimus SALOMON, *Ecclesiast. Cap. IX.* MARCILIVS FICINVS, insignis sui temporis Italiae Philosophus & Medicus, in Epistola de vitae tranquillitate ad animi lætitiā atque contentionem excitat, quando inquit: *Vivite læti, ab angustia procul, o amici! Vivite læti. Lætitiā cœlum vos creavit sua, quam suo quodam risu, id est, dilatatione, motu, splendore declarat, quasi gestiens. Lætitiā cœlum vos servabit vestra. Ergo quotidie in præsens vivite læti. Iterum igitur precor, atque iterum, vivite læti. Nam fata sinunt, dum securi vivitis. Sed, ut revera sine cura vivatis, ne unam quidem hanc curam sumite, qua solliciti curetis unquam, quā potissimum diligentia curas fugiatis. Una enim cura hæc mortalibus, heu miseris, omni cura cor urit. Hæc autem non tam ut sacerdos, amici, quam ut Medicus mando vobis. Nam absque hac una, tanquam medicinarum omnium vita, medicina omnes, ad vitam producendam adhibita, moriuntur. Et certe moderatio in victu, in motu, in somno, in quiete, cum constante animi moderamine & securitate, optima & certissima media sunt, quibus motuum vitalium rectitudo, proportio, & libertas conservatur, & quæ optatam vitæ incolumitatem atque longævitatē largiuntur. Sicut vero impetuosus animi motibus, corporis functiones in similes ataxias deducuntur, ita, vi oppositi, hinc ultra colligimus, quod animi servata tranquillitate, corporis quoque œconomia harmoniam & æquabilitatem motuum continet, quæ longævitatē parens est. Hinc non sine gravi ratione b. G. E. STAHLIUS Dissert. de*

passionibus animi corpus humanum alterantibus dicit, ad hominis sanitatem primario requiri tranquillitatem animi: uti enim in hac summa hominis felicitas moralis consistit, sic etiam non minus ab animi motibus reliqua fere omnia in corpore humano contingunt (pro intima scilicet utriusque conspiratione) dependent.

§. XXXVII.

Ultimo tandem quaestio decidenda venit: an medicamentorum crebro vel quotidiano usu vitam prorogare sit possibile? Multa a Paracelsi temporibus usque in hunc diem magna cum ostentatione de Panaceis de lap. philosoph. medicamentis solaribus laudata fuisse, sed magnorum promissorum fidem nunquam effectum liberasse, res est notissima. Infirmi-
tatem argumenti, quo à fixitate & incorruptibilitate mixti metallici ad illius communicabilitatem & translationem in corpus animale structum & è fluidis ac solidis partibus compositum & mixtum concluditur, quilibet perspicit, cum hujus integritatis & vitae conservatio non solum mixtionem illibatam, sed etiam structuram & fabricam rectam & ad motus speciales edendos concinnam & aptam requirat, utrumque vero horum chymica arte ex auro vel alio quocunque subjecto parata medicamina praestare valere, nemo unquam rationibus probaverit, vel probare queat; à posteriori vero effectus nunquam hac de re certi quidquam docuerint. Laudantur tamen & alia, inter quæ HORSTIVS
Opp. T. III. p. 6. salis virtutem animalium corpora conservantem & prolifica reddentem adserit. VERVLA-

MIYS

MIVS mixtura è sale communi, nitro & ambra quotidie usus, ad summam senectutem pervenisse dicitur. Balsamis naturalibus, è plantis educti, Opobalsamo nimirum, Balsamo de Meccha & Peruviano eximias conservandi tribuunt virtutes. Alii in succino ejusmodi balsamum vitale quærunt, ut alia plura taceamus. Verum, etiamsi memorata æque ac alia medicamenta in curandis morbis & prophylaxi quoque laudandos præstent effectus, nihilominus tamen stante sanitate quotidiano illorum usu nihil proficimus, sed potius illis incaute & immodice sumtis sanitatem labefactamus. Si vero unquam in virium languore, cacochymia & spirituum defectu, aliquid exinde boni expectare volumus, observatio eorum, quæ in antecedentibus consulimus, necessaria erit, secus enim injuriæ quæ corporis sanitati quotidie inferuntur, nullo modo medicamentorum subsidio submoveri poterunt. Qui itaque corpore sunt imbecilliore & simul macilento, optime nutrientibus, reficientur, scilicet: Choccolatæ potu cum lacte parato, ovis sorbilibus, juniorum animalium carnibus, jusculis & gelatinis inde confectis, amygdalatis, avenæ excorticatæ brodio mane ad 15j. calide sorbillato, quibus subinde vini generosi & dulcis haustum interponere expedit. In humorum vero vappescentia & spirituascentiæ defectu cum capitis & nervorum imbecillitate, salubritate se commendabunt: Sal volat. oleos. Sylv. Balsamum vitæ HOFFMANNI vel TEICHMEIERI, ʒo cinnamom. Tinctura auri sicca, Spiritus mastich. & Balsam. Peruv. Elix. Balsamic. Hoffm. Rad. Ninsi & ʒæ fragrantés, quibus vini generosi Hungarici, Galli-

ci,

ci, Frontinac, Italici, Montefiascone, & aliorum etiam optimorum Germanicorum moderatum usum adjungimus, pro ætate potissimum provectoribus & senescentibus, vinum enim lac fenum dicitur.

§. XXXVIII.

Cæterum VSnibus, laxationibus, acidulis & curis vernalibus ac autumnalibus eximie tribuuntur facultates ad vitam incolumem servandam eamque prorogandam, neque hoc male; sed hic idem, quod supra, monemus: hæc omnia parum profutura, nisi sobrietas & temperantia tam physica quam moralis simul observetur & naturæ secretiones & excretiones proportionem & ordinem decentem servant: sub hac enim conditione plethoræ & cacochymie sensim & ne advertentibus quidem nascentibus, in tempore obviam ire ob multorum *inde pullantium morborum* accessum tuto avertere licebit, modo ejusmodi remedia sub eruditi & in arte periti Medici directione decenter administrantur: qui vero temperantiæ & frugalitatis legum constanter observantes sunt, illis neglectis nihilominus seram adsequi valebunt senectam.

F I N I S.



ERRATA

quæ oculo fugitivo animadvertimus.

Pag. 46. lin. 12. *adversum*, leg. *adversam*.

lin. 20. *aucupantur commodum*, leg. *accipere commodum*
constat.

BRUNNEN
Das ist die
Beschreibung
des Brunnen
in der Stadt
Dresden
1527

Dact 1527 m